



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput I. Vocabulum Legis exponitur, ac definitur: traditur partitio legum; & statuitur ad actum voluntatis legem potissimum pertinere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

ultimum referantur, Divino ex munere sit repetenda; & si gratia desit, regnet peccatum per mortem, & per legem arguatur tantum prævaricatio. In superioribus itaque libris nihil fortè vel

ante rem, vel præter rem disputavi: & cum dederim nunc rationem consilii mei, quod reliquum est operis, ita, ut institui, persolvam.

CAPUT I.

Vocabulum Legis exponitur, ac definitur: traditur partitio legum; & statuitur ad actum voluntatis legem potissimum pertinere.

SUMMARIUM.

1. Unde legis nomen derivatum.
2. Definitio Legis.
3. Divisio Legis.

4. Divisio Juris.
5. Lex propriè refertur ad actum voluntatis.
6. Objectiones solvuntur.

1.
Unde legis
nomen deri-
vatum.

ERGo præter Gratiam, quæ humanam adjuvat infirmitatem, necessaria fuerunt rationalibus præcepta quædam & instituta, quæ imperarent quæ facienda sunt, & prohiberent contraria: atque hæc instituta LEGES dicimus. Unde Legis nomen sit derivatum, non consentiunt Scriptores: opinantibus quibusdam dici legem à *ligando*, quoniam subditos ad observantiam præceptorum obstringit. Arbitror derivasse potius à *legendo*, ut animadvertit in sua Etymologia Gerardus Vossius, & Prolegom. 25. Alphonsus Salmeron. Nam sicut à ducendo Dux, à regendo Rex, ita à legendo lex dicitur, ut demonstrat Latini sermonis consuetudo. Græci appellant νόμον à νέμω, tribuere, quod suum distribuat unicuique Hebræi autem תורה, *Tord*, quasi verborum, ut interpretatur Marinus, *instructio*. Legere autem, unde derivamus latinum vocabulum, aliquando idem est ac eligere, unde est in Eclogis Virgilianis, *Qui legitis flores*, & *humis nascentia fraga*: aliquando est idem, ac pervolutare & cognoscere & lectionem ad librum aliquem adhibere. Juxta priorem legendi significationem ait Augustinus q. 20. in Leviticum: *Legem ab eligendo Latini Auctores appellatam esse dixerunt*; & juxta postremam Isidorus lib. XI. cap. 10. *Dicitur lex, quoniam scribitur, & legenda proponitur*. Igitur qui à ligando derivarunt, non etymologiæ rationem habuerunt, sed potius muneris ac potestatis. Hinc & varia nomina lex adscivit, cujusmodi sunt, Pactum, Testamentum, Mandatum, Voluntas Domini.

2.
Definitio legis.
Definitur autem Lex à Cicerone lib. 1. de Legibus, *Recta ratio imperandi, & prohibendi*: à Theologis autem Scholasticis his, aut consimilibus verbis: *Lex est præscriptum aliquod ab eo, qui com-*

munitatis curam habet, ad commune bonum directum, & subditis intimatum. Quæ definitio legem describit comparate ad legislatorem; nam respectu subditorum traditur hæc alia vulgaris: *Lex est mensura actuum humanorum, per quam ad id quod rectum est agendum, & ad id quod prævum est omittendum diriguntur*. In quibus definitionibus explicandis non est, ut immoremur, necesse admodum. Atque tradita Legis definitio cuique legi communis est.

Lex vero alia est naturalis, alia autem positiva. Naturalis dividitur in ^{3.} *Divisio legis.* *aternam*, quæ est rectus universorum ordo à sapientia & providentia Dei prorsus indistinctus, sive, ut aiebat Tullius, *Æternum quiddam, quod universum mundum regit imperandi, prohibendique sapientiæ*: & in *participatam*, quæ est ipsa naturæ vis, & ratio prudentis, sive Auctore ipso Tullio, *non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus*. Legem *Positivam*, eam videlicet, quæ à libera Legislatoris institutione dependet, ejusque arbitratu ponitur, & constituitur, in Divinam, humanamque dispefcunt. Et *Divina* quidem alia est *antiqua*, quam libri Moysis comprehendunt, alia *Nova* tradita in libris novi Testamenti, maxime Evangeliorum. Lex *humana* ea est, quam homines ferunt: & alia est *Ecclesiastica*, Civilis altera. *Ecclesiastica* Pontificum decretis, definitionibus Conciliorum, communibus Patrum sententiis, & perantiquâ Ecclesiæ disciplinâ constituta est: *Civilis* sita est in statutis Imperatorum, Republicæ constitutionibus, atque populorum consuetudine. Itaque hæc est generalis Legum partitio.

Id

4.
Diviſio Juris.

Id vero circa quod verſantur leges, dicitur in *naturale, poſitivum, Divinum, humanum, Eccleſiaſticum, Canonicum, & Civile*, juxta traditas legum diviſiones. Ulpianus lib. 1. ff. de Juſt. & Jure partitur omne Jus in *publicum, & privatum*: & illud arbitratur eſſe quod ad ſtatum pertinet rerum Romanarum: hoc autem, id eſt, Jus privatum, aliud eſſe *naturale*, aliud *Jus gentium*, aliud *Jus civile*. Et is quidem *Jus naturale* facit etiam brutis commune: quod etſi poteſt ſenſu aliquo probari, cum & inter bruta & res omnes creatas ſit forma quædam regiminis, rerumque agendarum menſura; eſt nihilominus dictum improprie: eſt enim anima legis ipſa ratio, quæ bruta carent. Nec placet Jurispræſentis *Jus naturale* in ordine quodam inſimo locari, *Romanum* autem in ſupremo; cum per ſe conſtet, Jus naturale ampliori latitudine ſe extendere, Romanum ſpeciem aliquam conſtituere. Magis ergo placet Jus naturale dividere in *primævum, ſecundarium, & perſonale* aut *locale*. Primævum illud eſt, quod pertinet ad ipſum rationalis naturæ conſtitutionem; illud ſcilicet, quo præcipiuntur mutua hominum dilectio, connubia, filiorum educatio, cultus parentum, aliæque humanæ ſocietatis officia, quæ forent in uſu etiamſi Adam non peccaſſet, neque ſuborta eſſet familiarum diviſio. Secundarium eſt illud, quod exigente uſu, & humanis neceſſitatibus conſtitutum eſt: irruente præſertim familiarum diviſione, & in commodis erumpentibus ex propagatione humani generis ab Adamo prævaricatore. Atque hoc Jure diviſiones Regnorum, Conſtitutiones Rerum publicarum, Legationes, Jura belli & pacis, emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, mutuum, aliæque contractus fuerunt induci. Quæ cum omnibus Gentibus promiſcue communia ſint, hoc Jus naturæ *ſecundarium* dicitur à Juſtiniano lib. 2. Inſtit. tit. 1. *Jus Gentium*. Perſonale enim, aut Locale reſpicit peculiarem locorum, aut perſonarum conditionem. Sunt vero loca aut Regna, aut Provinciæ, aut Civitates, aut oppida: & omnia ſtatutis quibusdam propriis reguntur. Homines autem ſunt aut liberi, aut ſervi. Et liberi quidem Jus habent ſic facere, ut volunt, prout lib. 1. de Officiis, & in Paradoxo v. loquitur Cicero. At ſervi dominio aliorum ſubjiciuntur, unde & *mancipia* dicuntur, quaſi manu ab hoſtibus capiuntur. Nec tamen homi-

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

nes liberi poſſunt ſemper pro arbitrio agere: omnes quippe, etſi liberi, ſuperioribus legibus obſtringuntur; & *parvulus hæres*, auctore Apoſtolo ad Galat. IV. *nihil differt à ſervo*: & *Pater affiduat illi flagella*, more ſervorum, ut in Eccleſ. xxx. Emanaverunt enim Jura omnia Gentium, & Perſonarum à lege ſuprema, æterna ſcilicet & naturali, cujus præceptis tenentur omnes. At de diviſione Legis & Juris dictum modo.

Reliquum eſt, ut videamus an ad actum intellectus, aut voluntatis ſit lex 5.
Lex propria
reſertur ad
actum vo-
luntatis. referenda: qua in re diſſentiunt Scho- laſtici. Sed parvi momenti quæſtio eſt; atque utrumlibet affirmes, noſtra parum intereſt. Opinor diſtinguendam eſſe legem, ut in Legislatore, in Tabulis, & in ſubdito ſubjicitur. In Tabulis mortua eſt, literis conſcripta, aut ſculpta. In ſubdito pariter non ſemper cum voluntate conjuncta eſt; ſæpe enim plurimi, qui legibus tenentur, eas nolunt implere. Igitur de lege quatenus pertinet ad Legislatorem inſtituitur quæſtio: eamque paucis reſolvens affirmo legem, etſi intellectionem ſupponat, ad actum voluntatis proprie reſerri. Legitur enim Pſal. 142. *Docce me facere voluntatem tuam*. Pſ. 102. *Notas fecit vias ſuas Moysi, filiis Iſrael voluntates ſuas*. Macch. 1. *Det vobis cor, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem*. S. P. Auguſtinus lib. 1v. de Civ. Dei cap. 6. ſcribit principio rerum gentium, nationumque fuiſſe pro legibus *Arbitria principum*. Ipſe denique Juſtinianus lib. 1. Inſt. tit. 2. §. 2. *Quod principi placuit*, inquit, *legis habet vigorem*. Ad voluntatem ergo, arbitriumque Legislatoris lex pertinet. Recte Cicero de legibus: *Cum legem dico, nihil aliud intelligi volo, quam imperium, ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt*. Atque hæc rationi conſentanea ſunt; niſi enim ad rationem mentis accedat judicium imperans honeſta, & prohibens contraria, non habetur lex, ſed ſuſpenſa quædam apprehenſio. Imperare autem & prohibere actus eſt voluntatis; quoniam nihil aliud eſt *Imperare*, quàm intimare, decernere, denuntiare, velle ut Majorum præcepta innotescant, & compleantur. Deinde Lex inferiores dirigit: & directio, etſi pertinet ad intellectum, quatenus eſt perceptio, & propoſitio, rerum meliorum; ſi tamen accipiat pro vi illa movendi, & intimatione, quæ in

A 2

in Lege præcipua sunt, spectat ad voluntatem.

6. Obijciunt: Lex illuminat, dicente Davide, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* II. Lex imperat: at imperare per D. Thomam actus rationis est. III. Lex est quædam regula & mensura pravi & recti, ad quam humanæ actiones exigi debent. Quæ regula mentis & intellectus est opus. IV. Saltem Lex naturæ actus voluntatis non est, cum nihil sit aliud, quam lumen rationis cuique rationali creaturæ manu Formatoris impressum.

Solutiones. Resp. ad 1. Eatenus legem illuminare, quatenus nobis Divinam proponit voluntatem, cui obtemperantes, & societatem habentes ad invicem ambulamus in luce. Ad 2. nego quod imperare sit actus rationis. Ait enim Augustinus lib. VIII. Confess. cap. 9. *Voluntas imperat:* & D. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. ad 2. *voluntas imperat omnes*

actus voluntatis, atque q. 9. art. 1. in Corp. *voluntas movet alias potentias animæ ad suos actus.* Quapropter ubi S. Thomas imperium tribuit intellectui, illud accipit pro sola directione mentis, non pro illa intimatione, & vi movendi, in qua potissimum lex sita est. Ad tertium dico, utique legem comparate ad subditum esse mensuram pravi & recti, sed relate ad Legislatorem esse hujus mensuræ intimationem, & præscriptionem. Præterquamquod ait Angelicus 2. 2. q. 104. art. 5. primam regulam, cui actiones humanæ conformari debent, esse Dei voluntatem, secundam aliorum Superiorum imperium. Eadem responsio adhibetur ad 4. siquidem lex naturæ in homine est vis, & acumen ipsum rationis; sed quatenus à Deo est, dicit intimationem Divinæ voluntatis, & æqui rectique præscriptionem, quam rationalis animus intima conscientia intuetur in semetipso manu Conditoris inscriptam.

CAPUT II.

Legum conditiones exponit, & pertractat de illarum Auctore, & iis, qui legibus subijciuntur.

SUMMARIUM.

1. Conditiones Legum conditio 1.
2. Obiectio solvitur.
3. Conditio 2.
4. Obiectio cum solutione.
5. Conditio 3.
6. Obiectio cum solutione.
7. 8. Conditio 4. & 5.

9. Leges ferre spectat ad communitates, & earum Rectores.
10. Novatores cæcum Justorum ab observatione legum excipiunt.
11. Refellitur error Novatorum.
12. Objectionibus satisfi.

I. Conditiones legum.

Conditio 1.

QUINQUE autem traduntur conditiones legum universalium: ac prima est, ut lata sit qualibet lex pro aliqua communitate. Primo quia in eo differt lex à præcepto, quod illa communis est, & istud peculiare. Et lex quidem appellatur præceptum, sed accepto præcepti vocabulo in significatione ampliori & generica, ut habetur lib. 1. ff. de legibus. Habetur præterea lib. 1. Inst. tit. Jura: *Leges non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Deinde legem æternam ac naturalem esse communem satis compertum est: de legibus autem civilibus & Canonicis idem affirmat in Proœmio Decretalium Gregorius Nonus. Prima itaque legum conditio recte constituta est.

2. Obiectio.

Solet opponi primo definitio legis superius tradita, quod sit mensura humanarum operationum. Videtur ergo, ut quemadmodum operari est individuum, ita ad hæc tantummodo leges pertineant. Datur quoque, ut dictum est supra, & habetur lib. 1. de Const. Princ. *Jus*

Personale. Insuper *Commune, Respublica,* aliaque istiusmodi nomina sunt intentione hominum instituta, ideoque non sunt subjectum legis idoneum. Denique imponitur lex interdum uni tantum, uti sacrificium Abrahami. Allata ergo legum proprietas haud scite præscribitur.

Respondemus, Legem ferri pro aliqua Communitate *distributive*, id est generaliter proponi ita, ut ad omnes singulosque perveniat: ideoque universalis est, & unicuique in particulari normam exhibet æquitatis. Ita ratio, prudentia, ars, facultas referuntur ad plures, etiam si qui his utuntur sint individui. Jura Personalia & ipsa ad publicum commodum ordinantur; confert enim ad bonum Corporis singulorum membrorum harmonia, atque ad utilitatem Reipublicæ & communis rei politiam recta munerum, magistratuum, negotiorum, hominumque participatio. Præceptum autem uni impositum à lege secernitur: quamquam potest privatis personis imponi à Superiore mandatum pro bono, & commodo Reipublicæ.

Solutio.

Alte-